



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XLI. De Celebratione Missarum, Sacramento Evcharistiæ, & Divinis
Officiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

TITULUS XLI.

De Celebratione Missarum, &
Sacramento Eucharistia, &
Divinis Officiis.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Eucharistia, Missa, Officia Divina.
2. In quibus locis liceat celebrare Missam.
3. Quinam adstringantur ad recitandum Breviarium.

Eucharistia & Sacrificium & Sacramentum est; qua *Sacrificium* nihil est aliud, quàm *Missa*, quæ definitur esse *verum, sed incruentum, Sacrificium, in quo Christus ipse sub speciebus panis & vini, per consecrationem conversi in corpus & sanguinem ipsius, offertur æterno Patri in recognitionem supremi dominii, principaliter quidem ab ipso Christo, ministerialiter verò à sacerdote.* Unde patet, in Ecclesia DEI nihil sanctius & præstantius, nihil DEO gratius, ac hominibus salubrius, reperiri, quam Sacrificium Missæ. Quà *Sacramentum* verò definitur esse *Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animarum refectionem Divinitus institutum.* Conficitur per consecrationem Sacerdotis (in qua & essentia Sacrificii consistit) suscipitur autem, quando consecrata Hostia sumitur: extra quam sumptionem & actualem usum

usum existit, asservatur in templis, & adoratur, utpote continens Christum cum Divinitate & Humanitate, Corpore & Sanguine, Per *Officia Divina* intelliguntur hic *Hora Canonica*, seu *Breviaryum*, quod à certis personis quotidie vel decantari in Ecclesiis, vel recitari privatim debet, tanquam certà formula precandi & laudandi DEUM ab Ecclesia præscripta.

2 Dico I. Non licet, nisi in casu necessitatis, vel ex privilegio post Tridentinum obtento, celebrare Missam in locis non consecratis, vel benedictis, aut saltem deputatis ab Episcopo ad perpetuum DEI cultum, licet adhibeatur Altare portatile. Patet ex *can. 1. 11. 12. 25. d. 1. de consecr. ex Decreto Trident. de observandis in Celebr. Missæ. sess. 22. & Constit. speciali Clem. XI. die 15. Dec. 1703. etiam promulgata per Archiepiscopum Salisburgensem in diocesis suorum Suffraganeorum. Unde in privatis Domibus, & Oratoriis Sæcularium, dicto modo non præcisè dicatis ad DEI cultum, legere Missas non licet, etiam cum consensu Episcopi, quem dare prohibetur in *d. Const. Clem. XI. neque illis præsentibus satisfaciunt præcepto Ecclesiæ audiendo Sacro. Interim tamen ex justa causa, v. g. gravis & diuturni morbi, probabiliter possunt adhuc Episcopi dare licentiam, ut in domo vel Camera privata infirmi pro ejus solatio super Altari portatili Missa celebrari valeat, ut cum Suar. Barb. Palao &c. docet P. Schmalzgrueber tit. de Consecr. Eccl. n. 12. contra Navar. & Azor, idquo declarat apud nos consuetudo. Præterea licitum quoque est in Oratoriis Religiosorum privatis, &**

Capel.

Capellis domesticis à Superioribus ad Divinum duntaxat cultum deputatis, legere Missas, ita ut etiam presentes satisfaciant præcepto de audiendo Sacro; quia censentur esse loca sacra, & Monasteria non sunt domus privatae, imò veniunt etiam nomine Ecclesiae. *c. 24. de sent. excom. in 6. & ibi gl.* Quin & in cameris & cellis, ubi v. g. decumbit infirmus, ut legantur Missæ, Superiores Regulares facultatem dare possunt, non tamen ita, ut Laici eis assistentes satisfaciant præcepto. Dixi, nisi *in casu necessitatis*, v. g. in bello pro exercitu, in longinqua peregrinatione per loca Infidelium, in concursu populi tanto, ut eum Ecclesia non capiat, vel in loco, ubi nulla est Ecclesia &c. licebit super Altari portatili etiam sub dio, vel in alio loco decenti, Missas legere non requisitâ licentiâ Episcopi. *per can. 1. & 30. d. 1. consecr.*

Dico 2. Ad Breviarium dicendum quotidie obligantur omnes Clerici in Sacris constituti. *per c. 1. & 9. h. t.* Item Beneficiati, licet tenue habeant Beneficium, ut habet communis ex *c. 15. de Rescr. in 6.* Atque Religiosi Chorum professi secundum suas Ordinationes & consuetudinem, Si *Beneficiati* hunc pensum Canonicum culpabiliter non persolvant, tenentur ad restitutionem fructuum pro rata, seu respondentium illi diei, qua omittunt, faciendam Ecclesiae vel pauperibus. *Concil. Lateran. sub Leone X. in Bull. Supernæ dispositionis S. Pius V. in Bulla Ex proximo.* Parochi tamen & Beneficiati Curati solum obligantur restituere fructus, sibi obvenientes propter Breviarium, non omnes diei correspondentes, quia ipsis debentur fructus etiam propter alia
mini-

ministeria sacra, & curam animarum, non propter solum Breviarium. Engel *hic. n. 1. & 12.* ubi cum aliis putat, si portio reddituum Parochialium unius diei essent 3. floreni, Parochum ob omillas Horas Canonicas omnes non nisi ad unum florenum restituendum obligari. Sed plura de Evcharistia, Missa, & Breviario petenda sunt à Theologis tum Speculativis & Polemicis, tum & maximè à Moralibus.

TITULUS XLII.

De Baptismo, & ejus Effectu.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid & quotuplex sit Baptismus, an necessarius.*
3. *Quis ejus effectus.*

I **B**aptismus, considerari solet triplex. 1. *Fluminis*, qui solus propriè Baptismus, & Sacramentum est, atque confertur per ablutionem aquæ, & verba, *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* 2. *Fluminis*, qui non consistit in nudo desiderio baptismi, si quis se sciret non esse baptizatum &c. ut vulgus existimat; tale enim desiderium non justificat; sed in perfecta contritione, vel dilectione Dei super omnia, ubi Baptismus fluminis necdum realiter est perceptus; quia hujus votum includit. 3. *Sanguinis*, qui nihil est aliud, quàm Martyrium, quod sustinetur pro Fide, aut Christo, confertque gratiam sanctificantem *ex opere operato* seu